ELABORATIONEM
TEXTVALEM,

SVPRA DIST. I.
LIBRI SECVNDI MAGISTRI SENTENTIARVM.

DE VNITATE PRINCIPII
RERVM CREATARVM.

AD CATHEDRAM PRIMARIAM
SCOTI.

INCOMPLVTENSI
ACADEMIA HABITAM.

RECTISSIMO, EQVISSIMOQVE
CASTELLAE, ET REGALI SENATVI,
LIBAT LVBENS.

MAGISTER FR. IOANNES
PRVDENTIO, CATHEDRAM
MORALIS, PHILOSOPHIAE REGENS
COMPLVTENSIS,
ORDINIS B. MARIÆ DE MERCEDE
GENERALIS DEFINITOR.



EX SVPERIORVM PERMISSV.

LECTORI NOTATVRO.

IN te, beneuolum lectorem elaborationes quatuor textuales ad Cathedras tum Primariam, bis ad vespertinam, tumque Moralis Philosophiæ apud Complutenses, quarum inscriptiones postmodum refricauit calamus, ter, quaterque auide inhiauere, publico lucis prælo perfusæ. Iteratis nunc gressibus extemporalem huncce laborem, quem vti votum Primaria sibi ex sorte nuncupauit, nec incuruata voluntatis manu, in paropside breui propino. At summulam istã, superque precinctam folijs fauente digito sume. *Cum cibi* (Casiodoro teste) *non mentiantur ad pondus, cum sit mensura sapor*: & angustum temporis vigintiquatuor horarum spatium mentem effrænat, ne ad maiora spatietur. Quatuor inquam alias lucubrationes ad recensitas Cathedras, sub tuæ beneuolentiæ prælo diligenter cudi, & bis non pigre recudi: & si forte suarũ inscriptionum voculæ ad manus non accesserunt, vel si peruenere, aliorum attentio subripuerit, libuit, tuam memoriam, licet lenitet refricare. Primæ ad Cathedram vespertinam, cuius textus sortitus *de æqualitate personarum in potentia inscribebatur*, quæstionem istã discusit: *An vna persona posset effectum ad extra producere in concurrentibus alijs, & manentibus cunctis in potentia æqualibus*. Secunda lucubratio ad Cathedram Primariã Scoti, *de processione personarum* versabat, & hanc quæstionem mouit: *An Pater vero & reali desiderio filium generare cupierit*: & affirmatiuè respondet: Tertia, ad Cathedram Philosophiæ Moralis agens, *de quærelis in amicitia*, istud dubium elicuit: *An amicus amans amicum, iuste conquæratur de amico, quod ab illo solum redametur?* Quarta, ad Cathedram vespertinam indagans, *de potentia magnitudine, &c.* Litẽ hanc suf-

citauit: *Quodnam in diuinis ad intra sit potens produce-re*, & sententiam parum familiaré germinauit. Omitto elaborationem ad Cathedram Scripturæ; quippè non cussam, sed spero cum alijs sacrum Codicé redolentibus non longo ab hinc temporis interuallo elapso cudendam. Has ergo cussas animi potius in tuam pietatem feruore, quam in propriam vanitatis crustã tibi terendas oculis obtuli elaborationes extemporales, vt tuæ benignitatis foliorum pennis agitatis aura, altiores sibimet volatus asciscerent, sicque dentium, quos acuit libidus humor, & fellis corrodentium labia immergentis, subterfugerent rabiem, amaritudinem fugarent. Vale.

DISTINCTIONIS PRIMÆ, LIBRI SECVNDI

MAGISTRI SENTENTIARVM DE PRINCIPII RERVM VNITATE.

TEXTVALIS, EXTEMPORALISQVE ELABORATIO.



Extus incipit sic: *Creationem rerum.* Finitur sic: *Et contingentium sequatur argumentum.* Sacra regalis Maiestas; ipsum Magistri Glossatores in varia diuidunt frustra. Scotus in 6. S. Bonauentura in septem. Sanctus Thomas in quinque. Durandus in quatuor. Gorriquenius. Holcotus. Gabriel in innumera: Sed mori, cui semper adhæsi, indulgés, eum in duas Principes partes præcidam. Prima, totam litteram textus, nec totis parcens, celeriter gradietur. Secunda, quæstionem litteræ illius fraternatiorem progermi nabit. Harum quamlibet aliæ duæ rediuiuent partiuculæ. Prima intentũ Authoris, cõnexionẽ capitis cũ anteuntibus, & posteuntibus capitibus edisseret. Secunda omnia Magistri pronuntiata evulgabit; nedum verba in memoria obtecta impetuoris referando: Munus enim orchestram hanc ascendentis indecet, texturata sine expensione turbida, & dura sine interpretationis oleo, & absque salis erudita glossa tantorum virorum aures incondite propulsare. Commentator equidem, & texturata cuncta triturare, & inter recitandum in expendendis difficilibus, e verbis craneum eruere, obstrin-

Scotus. Bonau. Thomas. Durand. Gorriq. Holcot. Gabriel.

Tacita increpatio.

ſtringitur. Sic igitur in præſenti elaboratione greſſus conſtruam, vt eius obſtruſſa pandam, facilia curram, rugata protendam, & nimis protenſa cingam. *Pater fi ueat, foueat Filius, flagretque Spiritus Sanctus. Protegant Maria Sanctiſsima ſub triplici nomenclatura, del Pilar, de Mercede, & ſub Conceptione. Sanctiſsimi Patres, Petrus Nolaſco, Raimūdus, Nonnatus, S.P. Aug. S. Thom. Seraphicus Benau. diua Tereſia. S. Franciſcus Xauierius. Animæque Purgatorij Sanctæ, quarum ab incunabulis, ſicut lac, deuotionem ſuxi, &c.*

Numinis inuocatio

Cōnexio capitis.

1 Prima partiúcula me aſtruxit policentem, connexionem capitis cum antecedentibus, & poſt venturis textibus eruere, & intentum Autoris veſtratibus patefacere. Intentum ex elaborationis proceſſu ebibetis. Connexio non aliter patefiet, quam conferens præſentem cum antegreſsis capitibus. Extat ergo prima in hoc ſecundo libro diſtinctio noſtra, & valde diſtinctiones cunctas libri primi, ſecum concilians: Etenim toto antecedenti libro ſe immerſit Magiſter, in expendenda quidditate Dei, vt vnius, & trini; nunc vero de creaturarum omnium armatura, & principio illas in germinante ſermonem dare policetur. Aſſerit ergo totum Deum ſub vnitate, & Trinitate adeſſe omnium rerum creatarum perennem ſcaturiginem. Quodque de ſingulis Perſonis ex ſacro Codice munit, de Spiritu Sancto iuxta illud Pſ. 103. *Emite ſpiritum tuū, & creabuntur.* Id ipſum de Filio connititur, ex illo Iobi 40. vbi alloquens cum illo ipſum Dei Patris brachium, evulgat, per hæc: *Si habes brachium ſicut Deus, &c.* Hoc inquam filij brachium, & Patris manum in creationem rerum erupuiſſe teſtatur, idem Pſalmus citatus, *aperiente te manum tuam omnia implebuntur bertate, & ex* illo Ioannis: *Omnia per ipſum facta ſunt*, Et ex inde deducitur, quod Pater creationis operi incubuit,

Pſ. 103.

Iob. 40.

buit,

buit, tum ex illo vulgari: *Omnia opera ad extra communia sunt toti Trinitati.* Tumque quippè in pronomine Filij persona Patris indigitetur, sicut in vtroque sculpitur Spiritus Sanctus.

2 En adũbrata huius textus cũ cæteris libri primi amicabilis affinitas; cum Trinitatẽ, de qua libro primo edisseruerat, rerum omnium creatarum fontem esse, in limine textus resoluit, connectitur cum immediate ventura distinctione; In ea enim explet calamo, ea, quæ calamo spoponderat in præsenti. Et hæc de connexione.

3 Magistri ergo asserta in epigrafe ad summam colligens ad tria puncta præcincte redigo. Primũ rerum creatarum principium efficiens edisseret. Secundum creaturæ rationali in communi finem præsignauit. Tertium, rationali creaturæ puræ spirituali, & ei ex spiritualitate, & materia coalitæ finem perhibebit. Quibus finitis finem agnoscet tota nostra armatura textualis. Cedat in laudem illius mirandi, & colendissimi viri D. ac D. Fratris Francisci de Cisneros, Archiepiscopi Toletani, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tiriana tota vestiti, vniuersitatis nostræ erectoris, & istius Collegij Maioris S. Ildephonsi fundatoris: Sed quod mirabilius, & veneratione plausibilius inter Religiosissimos Francisci ades *Fratris, & vere Fratris.* *Fundatoris gratamentio.*

4 A primo se expediens Magister pro comperto est ratus, vnum omnium rerum præfigendum principium, nempè Deum, quod authoritate Moysis sub breuiloquio protegit: *Creauit Deus Cœlum, & terram.* Quibus verbis Moyses in vnum principium, quod sit primum, quodque sit Deus, totum mundi exordium refundit; Et admonet ex eisdem eliminatum iri Platonis errorem in Timæo, c. 7. aiebat enim hic Auctor *Magistri assertum.* *Platonis error.*

tria

tria designabilia esse rerum omnium principia prima; Deum scilicet, exemplar, & materiam primam, hæcq; sine origine vigentia, & Deum non creatorem, sed pure artificem autummabat. Hæc æquivalenter magister. Sed non incutiunt ad satietatem animum. Expendamus periodum illam a Magistro productum, nempe *in vno principio mundus totus creatus refertur*, & ex inde errorem, quem trucidare conatur, per facile deprehendetis.

Scrupulus in textum.

5 Præ anxietate quatitur mens sciendi, quid per ly, *in principio* det nobis intelligere Magister. Etenim si ad consistentiam talis vocis in ordine ad significatum illi correspondens, & pro quo supponere debeat, animus se cõferat, nullum reperiet cõiectatio. Quippe, vel per ly *in principio* increatum quid, vel creatum innuitur. Neutrum; non primum: Siquidem dictam enuntiationem censeri transitiuam illud repellit: Non secundum, quia nihil creatum primæuo creato adfuit coetaneum: Nullum ergo significatum dictæ voci *in principio* adest responsiua, in cuius suppositionem à Magistro pertrahi valeat, ex inde vocem illam, vel à litera exterminandam, vel vt superfluam habendam.

Quatuor sẽsus verbi in principio.

6 In fronte dedi scrupulum, vt latentem veritatem reserem; recursuri sumus ad Magistrum, non hic, sed distinctione 20. & 21. huius libri: Vbi verbo illi, *in principio*, tres expositiones perhibet. Prima expositio, quod ly *in principio* ordinis prioritatẽ annotet, sicq; idem sit dicere, *facere in principio*, ac aliquid ante alia exequi. Secunda expositio: vt habitudinem ad præfixam mensuram secum ferat, & sic ly, *in principio* primo durationis instanti æquivalet. Tertia expositio, quod idem assonet, ac in Filio, iuxta illud Dauidis *Omnia in sapientia fecisti Domine*. Sed Verbum illud ita insump-

sumptum, non tam causam primam efficientem, de qua litera discutit hic, quam exemplarem causam redolere conspectatur. Has tres expositiones vti catholicissimas colendas. Monet Mag. citatus ex S. Aug. libr. 2. de ciuitate Dei, cap. 21. & ex S. Hieronymo contra Rufinum in calce.

S. Aug. *S. Hieron.*

Ex his tribus expositionibus verbo *in principio* inditis elissos experiemini quatuorbarbaros errores. Primus eorum aderat putantium mundum, & si ex tempore factum, tamen eum media intelligentia prius operata confectum credidere. Errorem istũ traxisse ortum ex illo Genesis: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, præmonet S. Bonauent. hic: quia Deum ibi non cum homine, sed cum Angelis verba fecisse, præsumebant. Sed hunc lapsum carpsit expositio prima illius verbi, *In principio* intellecti de ordinis priorate sub corpoream mundi molem primo editam cadente.

Error primus, eius origo, & occursus.

7 Secundi erroris, adfuit Aristoteles mirificus defensor asserens, mundum ab æterno fuisse obarmatum, cui causam errandi præstitit, se minime callere posse, determinatam inceptionem orbis, cum determinato temporis instanti conciliandam. Sed hunc depellit errorem, expositio secũda verbi illius, *in principio*, inuoluentis habitudinem mensuræ, ad primum temporis instans, &c.

2. error ortus eius & diuulsio.

8 Tertius error, menti Platonicę ministrabiliter insedit designanti tria principia prima, in littera narrata. Occasionem sumpsit hic error ex eo, quia Platonem latuit modus, quo intelligibilis redderetur productio rei ex nihilo. Sed hunc errorem pepullit expositio tertia, verbo illi *in principio*, adhibita negationẽ subiecti, ex quo res creatæ educerentur, connotanti.

3. error initium, & repulsa.

4. error, causa eius & exterminium. 9 Quartus error, Manichæum protectorem agnouit, duo principia prima effectiua rerum desiderantem. Sed inter omnes vilior suspicatur hic error, quippe præter Manichæum nullus adeo desipuisset Philosophus, vt plura prima effectiua principia, ita procaciter numerauisset.

10 Ex his allatis interpretationibus conscij reddemini de sensu, in quo habendus sit Magister, dum dixit, *in principio vno totus mundus creatus referentur*, & simul deprehendetis erroris genus, in quod Plato inflexuit a Magistro supra commemoratus, &c.

11 Hoc igitur elapso se confert Magister, in designandum principij nomen Deo, & criaturis communiter perhibendum, non immemor differentiæ simili voci impingendæ. Supponit ergo tria hæc, creare scilicet, agere, & facere, diuersa sibi significata arrogare. Creare, est aliquid de nihil eruere. Facere, & agere, supponũt aliquid, ex quo causa ad agendũ arripiat ansam. Hoc supposito decernit, prædicta verba, creare scilicet, ageret, & facere, Deo propriè cõpetere. Creare, iuxta illud: *Creauit Deus cœlũ, & terram.* Facere, eidem adaptauit illud simboli: *Credo in vnum Deum factorem. &c.*

Quid creare agere, & facere?

Resolutio Magistri

12 Verum prædictę resolutioni, duas limitationis indidit Magister. Primam videlicet, illud creare, taliter, sibi asciuisse Deum, vt creaturis repugnare idipsum sit necesse; facere vero, & agere, de Deo, & creaturis promiscue esse verificabilia. Secunda limitatio, quod etsi verum sit, agere, & facere, censeri communia prædicata Deo, & craturis, at interueniente discrimine ingenter notando, nempe Deum agere, & facere equivalet, aliquid iuxta diuinum delectum exequi, ita immutabiliter, vt nulla in Deum auguretur mutatio, semper tamen mutatione ex parte obiecti committe;

Creare diuinitatis thesera.

Facere Dei in effectũ mutationem inducere, nõ in Deũ

at

Facere creaturæ ex parte causæ & effectus mutatione cupit.

sit vero creaturam in effectum erumpere, est effectum extra vim suam edere, bina mutatione necessario, tum ex parte causæ, tum ex parte effectus, effecti desiderata. Hac resolutione peracta absoluit punctum primum de creatione rerum, in ordine ad efficientem causam.

Secũdum puncti de fine creaturæ rationalis in cõmuni.

13 Dicto rerum exitu à suo principio primo, secundo puncto de fine creaturæ rationali, in communi ascribendo quærenti respondere committitur, quem his verbis præfigit breuiter: *Vt summum bonum intelligeret, & intelligendo amaret, & amando possideret, & possidendo frueretur; Ecce finis, in quem Magister creaturam rationalem in communi præordinat*, & finem huic pũcto, sub breuiloquio imponit, &c.

Tertium punctum de fine rationalis creaturæ in particulari.

14 Ad tertium, & vltimum punctum, deflectit calamum. Quæsierat enim, vt vidimus, finem deputandum rationali, in particulari designatæ, videlicet substantiæ totali, purè spirituali, & substantiæ ex spirituali, & materiali coagmentatæ; vtque a prædicto quæsito se expediat Magister, præmitit diuisionem notã substantiæ rationalis in purè spiritualem, & in eam, quæ partim spiritualis, & ex latere alio materialis existit. Quam diuisionem alijs verbis Rodericus Holcotus indagandam suscepit, videlicet substantiã aliã esse ex se perituram, vt hominem; aliam vero ex se minime defecturam, vt Angelum.

Diuisio rationalis substãtiæ.

Obiurgatio Rubionis in Holcotum.

15 Sed illico me concitant Magistri Rubionis verba detractoria, habitam Rodericum, quem Magistri dissipatorem potius, quam commẽtatorem vocitat. Ait ergo Rubionius non æque bene Holcotum, vt hominem distingueret ab Angelo, substantiam ex se, & ex natura sua perituram appellitauisse: cum homo ex se non exigat morbum medicum in qualitate male temperante suam senectutem consistentem: Si-

quidem homo ex se indifferens est, vt quatuor elemẽtaribus humoribus in equilibrio perpetuo duraturis cõcinetur, vel vt eisdẽ ad iustitiã solũ libratis a diuina manu cõficiatur. Si enim homo primo modo crearetur, æque esset a corruptione liber, ac Angelus. Male ergo Holcotus, vt distinctiuum inter Angelum, & hominem in ũgeret, istum substantiam ex se periturã vocauit.

Homo ex se sapit ruinam.

16 Sed non possum non immorari in expendendo Magistri Roderici asserto, & simul Rubionis obiurgationem repellens. Assero ergo Holcotum, nedũ Catholice, sed & Philosophice processisse, dum vt hominem disitum ab Angelo prædicauit, illi sui interitus ruinam comminatus fuit; & vt asserti huius veritatem conspicue parem, mecum Scoto, 2. lib. de generat. ex illibatis medicorum principijs notantem sustinere debetis. Animal agendo debilitari, iuxta dicterium commune, quidquid agit agendo repatitur, cum enim alimentum sit ab similium qualitatum, reciprocam pugnam init cum animalis temperamento, quo in congressu vincitur alimentum primis ętatibus, sed semper comminuit licet paulatim animal, rationem dant, quia in illud eiaculatur qualitates ipsum enecantes. Quodque exemplis dispalescunt; Præcalida enim alimenta plus necesse inflammant corpus; excitata autem siti, potatur aqua, cuius flacidus humor permeans corpus, & in medullas se insinuans, illud putrefacit, flegmata gignit, frigefacit vires. Humida vero alimẽta non sunt adeò pinguia, & crassa, vt posśint subrogare, tam bonam substantiam, quam furantur. Sicca vero nos scindũt ad exterminium; itemque aer corporis intra spatia percurrens, perpetuo extat siccarius, illi succensens, in eum deseuiens, artusq; illius sinerescens.

Alimẽta interitus minæ.

Nota;

17 Notabitis rursum ex eisdem medicis Antesignanis, ab expultrice non ita recrementa abigi, vt aliquas partes non relinquant oblitas. Flegmata enim nimis tenaciter hærent stomachi parietibus, substantia mucosa admodũ committatur prolixe, vt deijciatur ægre. Nec aer ita cor eventilat, & arterias, vt fauillarum, & fulliginum puluis effugiat ventum: Idipsum experiemini in igne fauillarum, & cinerum ponderi ad excidium succumbente. *Recrementa enecãtia.*

18 Hæc omnia inter omnes iterum subtilius admouit noster Scotus in hoc libro, dist. 18. vbi de immortalitate homini per vitæ lignum inducibili edisserens, hæc liti nostræ inseruientia elegante retulit; duo remedia ad conseruationem vitæ propriæ habuisse hominem contra duos defectus. Primus defectus aderat humidi radicalis deperditio per actionem naturalis caloris, qui est instrumentum animæ, & contra defectum istum ob armabatur homo esu aliorum lignorum Paradysi, sicut in præsenti protegimur sũptione ciborum, quos deglutimus. Secundus defectus erat, nam vt testatur Philosopus, 2. de generatione, text. 20. quidquid à generato est extraneum, imminuit virtutem actiuam speciei, quodque exemplum aquæ, vino permixtæ superq; propallat, etenim aqua sic permixta, primo se conuertit in saporem vini; & secundum quod magis, vel minus de ipsa additur, eò vini decrescit fortitudo, & tandem aquosum degustatur. *Remedia duo ad vitam tuendã in statu innocẽtiæ.*

19 Sic res in præsenti euenire Scotus citatus edocet. In principio consistit speciei virtus adeò præpotens, vt valeat ad se trahere de alimento, non solũ quod sat est ad deperditi restaurationem, verum & ad incrementum haueriendum; Postmodum vero etsi cõpos sit deperditum instaurare, impos tamen erat, vt

ſibi nanciſceretur augmentum. Tandem vero in ſenili ætate ad neutrum iſtorum valor inſederat ſpeciei virtuti, ſicque excidio, & corporis diſolutioni ineuitabilis ſuſpicabatur præſumptio, & contra defectum iſtum homini propinabatur eſus pomi vitæ in paropſidē arboris à Deo prohibiti.

20 Ex his irrefragabiliter deduces, hominem de facto creatum indeferentem minime ſuſtineri ad æternam, vel temporalem vitæ quam degit, ſed relictum ſuæ contexturæ ponderi neceſſario ſuccubuiturum interitui, tametſi ex ſe morbum medicum, in qualitate male temperante ſenectutem ſuam conſiſtentem, minime depoſcat. Quodque ex dictis, hac forma veſtitus conſpiquius collucebit. Etenim omni ſemoto per accidens alimentum inceſſanter agit in animal, cuius latenter præcidit vires. Ergo omni ſemoto peraccidens, tādiu in animal acuet, vt illud quoque re nequeat, & eius virtuti cedere ſit illi neceſſe. Antecedens medicorum dogmata, & noſter Scotus dederunt. Conſequentiam munit argumentum à fortiori. Etenim ſi omni peraccidens ſemoto, quando vires ſunt in primordio potentiſsimæ, & vigor in eis regnat inſolidum, ab alimento, & aere ambiente præciduntur; Quanto aptius (etſi quidquid peraccidens depellatur) dum in ſenili ſtatu adſunt vires languidæ, & incuruatæ, ad ruinam ab ipſo alimento, & aere ambiente concutientur. Ergo ſubſtantia rationalis, vt homo ex proprijs periturus eſt. Ergo homo licet non exigat medicum morbum in qualitate male temperante ſuam ſenectutem conſiſtentem, non exinde perennabit: Et cum ex alia parte ſubſtantia rationalis pure ſpiritualis, quippe à qualitatibus elementaribus, cum alimentis minime pugnantibus extet auulſa, excidium haud ſubodoretur fit, Mag. Holcotum, optime diuiſiſſe ſubſtantiam

Ratio pro interitu hominis ex ſe perituri.

ra-

rationalem in eam, quæ ex se peritura erat, vt homo, & in illam ex se minime defecturam, vt Angelum. Ergo inermis obiurgatio Rubionis in ipsum iniecta.

21 Hac præeunte Magistri Sententiarum substantiæ rationalis partitione, singulis simul vnũ finem, in quem referantur, præsignat his verbis; *ad laudandum Deum, ad seruiendum ei, ad fruendum eo.* *Finis cui quæ rationali substantiæ.*

22 Iam per hæc tria illa puncta in limine allata, in quæ præcipuam litteræ partem redegi, de creatione rerum scilicet quantum ad causam efficientem, de fine creaturæ rationali in communi ascribendo, & de fine rationali creaturæ in particulari dando: Magister cõspicue resoluit.

23. Pro coronide textus duo author quæsita suscitat. Primum, *an mundus factus sit, vt seruiret homini?* Respondet affirmatiue, munitus S. Pauli monumẽto 1. Corinth. cap. 3. vbi hæc: *Omnia enim nostra sunt, scilicet superiora, æqualia, & inferiora.* Hæc Apostolus: eaque sic expendit Magister. Superiora quidem nostra sunt, nempe Deus, & Trinitas, ad eis perfruendum, æqualia, vt Angeli ad conuiuendum, quia licet Angeli, vt nunc, nobis superiores sint, in futuro æquales nobis erunt: qui inquam, & nostri sunt, qui ad vsum nostri sunt, sicut res domini dicuntur esse famulorum, non dominio, & iure proprietatis, sed quia sunt ad eorum vsum. Sic Angeli nostri sunt, non quod illis dominemur, sed quatenus in vsu ministeriorum à Deo instituẽdorum illos ad manus possidebimus. *Omnia mũdi esse nostra.*

24 Secundo quærit: Quare cum anima maioris dignitatis esse videatur, si absque corpore permansisset, cur eam corpori innexuit? geminam huic quæstioni solutionem perhibet. Prima est, quia Deus voluit, & voluntatis eius causa quærenda non est.

25 Verum non possum non detinere linguam in-

dis-

diluendo scrupulo, quem in istam Magistri resolutionem Aigalecius Parisiensis parum attente machinatur. Quærit à Magistro sub disiunctione; vel resoluit de anima corporibus parentum primo super infussa. Etsi hoc, resolutio subsistit, vt pandet discursus statim insurgendus. Vel loquitur de animabus corporum posterorum. Si hoc, ægre intelligitur recursus ad voluntatem Dei positiuam decernētem earum, cum corporibus vnionem; rationem dat, etenim id vult Deus positiuo beneplacito, quod suam iustitiam decet; sed nō decet Dei iustitiam, & æquitatem animas, quas sine macula creat, corporibus posterorum, iam originali macula infectis, coniungere. Ergo eas talibus corporibus copulare reducendum non est, ad diuinam voluntatem positiuam. Minorem probat, quia Dei æquitati pugnat habere voluntatem positiuam, qua decernat animam peccatricem, seu maculatam facere. Sed si positiue vellet animas posterorum corporibus infectis coniungere, vellet positiue illas maculatas facere. Ergo animas annectere corporibus posterorum positiua voluntate æquitatem diuinam indecet. Minorem probat: nam Deus de vno est conscius, animam in se consistente omni macula orbari, etsi corpori infecto adiungatur, ex tali coniunctione iri maculandam. Ergo suppositâ hac præscientia positiue velle animam cú corpore infecto connectere, est positiue velle animam peccato demigrare. Antecedens dat fides. Consequentiam probare potes sic supponens: Idem esse rē facere in se, ac aliquid exequi, quo facto necesse est, rē illam fieri. Sicut idem est, hominem propria manu interimere, ac facere aliquid, quo semel peracto, prædictus deducatur interitus. Quemadmodum qui fenestram reserat, dicitur domum totam illuminare, non quia præcauset lucem, sed quia fenestram aperit, qua re-

Quare indeceat æquitatē Dei positiue velle animas corporibus posterorū iungere.

Idem esse facere rē in se, & facere aliquit, quo facto necesse est, illam fieri.

reserata illuminatio necessario in domum inducitur. Sed animam cum corpore infecto copulare, idem est, ac eam macula peccati infici. Ergo velle Deum positiue animam aliàs immaculatam corpori fœdato annectere, ex cuius copula præscit Deus eam exturpandam, est idem, ac illam peccatricem astruere, cum faciat id, quo exequuto necessario in animam inducitur macula. Ergo ad voluntatem Dei non est dandus recursus in vnione animæ cum corpore.

26 Hæc ad formam istam redegi, non quia onus suscipiam in solutione obiectionis huius paráda; Res enim hæc ab hac nostra Prouincia digreditur, & aliá profuga excurrit, pertinet etenim ad distinctionem 20. vbi commentantes quærunt, *an deceat diuinam iustitiam corpori infecto animas posterorum iniungere*, ab his ergo supersedens, solutiones Magistri decurram. Ratio ergo, quare animam, cum separata à corpore maioris dignitatis sit, illam ipsi innexuerit, est diuinũ placitum. Nec scrupulus Algalecij premit, etiam in hypotesi, in qua veritati adhæreret de vnione animarum posterorum, cum in præsenti textus solum deflectatur sermo de vnione animæ cum corpore Adæ, minime pro tunc peccato denigrato. *Solutio prima Mag.*

27 Secundo respondet quæsito; quòd ideo Deus voluit animam vniri corpori, vt in humana exprimeret conditione exemplum nouum beatæ vnionis, quæ inter Deum, & Spiritum media visione, & amore interijcitur. Putaret enim creatura se non posse vniri creatori suo tanta prropinquitate, vt eum tota contueretur acie, & in eum toto corde propenderet, nisi videret, Spiritum, qui excellétissima creatura extat, tam vasæ, & infimæ, idest, carni, quæ de terra est, in tanta delectatione vniri. Pro exemplo ergo societatis futuræ inter Deum, & Spiritum rationalem in eius- *Solutio 2. Mag.*

dem glorificatione de futuro perficiendæ, animã corporeis indumentis, & terrenis mansionibus copulauit, luteamque materiam astruxit, ad vitæ sensum vegetare, vt conscius redderetur homo, quia si potuit Deus tam disparem naturam corporis, & animæ in fœderationem vnam, & in amicitiam tantam conciliare, nequaquam ei impossibile futurum rationalis creaturæ humilitatem (licet longo inferiorem) ad suę gloriæ participationem sublimare.

Hæc sint satis pro expensione literæ textus, & pro 1. principe parte meæ elaborationis textualis.

28 Secunda pars mei laboris præcipua me promittentem dedit, quæstionem literæ textui fraternitatiorem edisserere. Plures mouent quæstiones plures quasque cõsulto omitto quippe canas, iamque præsenio albentes, & rugis aratas aures vestras quotidie peruagantes, ne dicam præ vetustate illidentes ad nauseam. Vnam tamen eligam, in hoc suggestu vix prima lanugine vestitam, quæ hisce vocibus delineatur.

AN DEVS TENDERE POSSIT *in obiectum iam existens media cognitione de novo habita, nulla mutatione interueniente physica, tam ex parte obiecti attacti, quam ex parte intellectus Dei attingentis se tenente.*

COnnecti quæstionem hanc cum literæ allatæ processu non aliter muniri potest, quam retrogrediẽs eius periodum. Memento numeri duodecimi, vbi ex Ma-

Magistro didemus Deum, aliter ac nos operationes suas elicere, & effecta extra se edere. Nos enim aliquid volétes, immutamur media mutatione physica, ex vtroq; latere causæ scilicet, & effectus se tenéte: Deus autem, & vult obiecta, & illa operatur nouiter, licet nulla mutatione physica, in ipsum inducta, semper tamen mutatione physica, ex latere obiecti attacti se tenente; & quamuis nos aliqua de nouo appetentes, quæ tenebamus antea amittamus; Deus vero non nihil deperdit volens, nec acquirit nouiter operans. Hæc ex littera Magistri tradidit numerus duodecimus. Nunc libet quæstionem allatam conferre, cum allatis ex textu: an Deus in agendo ita mutationem despiciat, vt nedum propriam, quam patiatur ipse, renuat, sed exterá obiecti, seu effectus, quam necessario Magister cupit, non requirat; atque adeo distinctiuum Dei agentis, & creaturæ facientis effecta nouiter (de quo Magister, n. 12. contentionem subnectit) saluari queat pennes hoc, quod creata causa, vt agens duplicem mutationé physicam in se ipsam, & in effectum inductam desideret, Deus autem nullam ex his mutationibus efflagitet, sed possit in obiectum, aliquod iam existens tendere, media aliqua cognitione nouiter, & in tempore habita omni semota mutatione, tá ex parte intellectus attingentis, quam ex parte obiecti attacti.

Cōnexio quæstionis cum textu.

30 Quæstionem hanc absoluét quatuor sectiones. Prima, notabilia breuia parabit. Secunda, primam cōclusionem eliciet. Tertia, conclusionem aliam discurret. Quarta, argumenta referet, & refellet.

SECTIO PRIMA.

Notabilia ad conclusiones.

31 NOtabitis: omnia Dei secum identificata minime, quoad realitatem peritura, Dei immutabilitas monet.

Summa Dei vnitas.

32 Notabitis item, in Deo vnum tantum esse actũ realiter intellectui, & voluntati correspondentem; cuius multiplicitatem, & distinctionem realem, actualẽ minime præsumendam, censet Thologorum collectio.

Rationis distictio in diuinis.

33 Notabitis rursum: in vno, & eodem diuino actu interijci posse distinctionem rationis ampla nostri intellectus facultas in distinguendis rebus prorsus indiuisis, superque munit.

Rationis distinctio ex obiectis.

Notabitis, distinctionem istam rationis ex obiectis esse hauriẽdam, præter Theologos, Methaphysici, qui eatenus intentionalia distingunt, quatenus obiecta, in quæ feruntur, diuersificantur, vti illibatum dogma præfigunt.

Diuisio distinctionis rationis, & discrimẽ extremorum.

34 Notabitis, distinctionem hanc rationis geminã esse, vnam quam ratiocinantis vocant, & ratiocinatæ aliam defendunt. Illa intellectui fæcundæ incapacitati non valenti, rem eminenter pluribus æquivalentem percipere, innititur. Istá vero præter intellectus deffectum, quem supponit, & eminentiam obiecti, in quod tendit, obiecti ipsius scindit formalitates; vnde aliud latens discrimen inter illas reseratur, nempe distinctioni rationis, ratiocinantis minime respondere aliam, & aliam formalitatem obiectiuam. Distinctioni vero rationis, ratiocinatæ deberi istam formalitatum multiplicitatem.

35 Et ex indè notabitis, obiectum, in quod fertur

ratiocinantis distinctio, etsi adeò eminens sit, nō præit virtualiter realiter distinctum, distinctionem rationis prædictam: Sed quantumcunque intellectus illud partiri connitetur, semper idem obiectum formale pertinget, vt docet communis Patrum Iesuitarum vox, dum sermonem instituit de distinctione inuenta inter gradus methaphysicos superiores, & inferiores, animal videlicet, & rationale. Et in nostra Thomistica clasi communius circumferentur, intellectum diuinū, eius intellectionem, & alia ad intelligibilitatis, lineā spectātia minimè præcedere virtualiter distincta; quapropter accedente rationis, ratiocinantis distinctione non plures, sed semper vna formalitas capitur. Contrariam fortunam excurrit obiectum distinctionis rationis ratiocinatæ, cum antecedenter ad illam præcedat virtualiter distinctū, vtque prædicta distinctio accedit, illud in plures formalitates, formaliter dispersum præcidit. Huius conditionis esse distinctionem inter commemoratos animalis, & rationalis gradus, intellectum, & diuinam voluntatem, aliaque tributa Dei, est apud Thomistica agmina illibatum vexillum. *Obiecta talium distinctionum non inutiliter exprimūtur.*

36 Notabitis, illud verbum titulo quæstionis annexum videlicet *media cognitione de nouo habita.* Bifarium suscipere sensum, vnum aperte falsum, & alium ad litem pro nunc vocatum. Vel enim exprimit ly *de nouo*, cognitionem, quoad realitatem nouam, & istum sensum damnare fidem, immutabilitas Dei proclamat ex numero 31. Sensus alius est, ita vt Deus formalitatem cognitionis virtualiter distinctam ab alijs cognitionis formalitatibus, quibus ante formaliter vigebat, nouiter acquirere posit, & sensus hic verus est, & ita certus, vt ab eo recedat nemo, cum quemlibet Theologum minime lateat, de facto, & pro quolibet *Duplex tituli sensus.*

instan-

Visionis, & simplicis intelligētiæ cognitio vel quoad formalitatē, vel quoad denominationem dissident.

instāti sub pullulare in Deo novam intrinsecam denōminationem scientiæ respectu existentium, quamque opinionem sua probabilitate supervestiri: Sed quod probabilius menti cunctorum insidet, est, abæterno in secundo signo rationis de nouo Deum acquisiuisse scientiam visionis respectu obiectorum nobis futurorum, siue talis cognitio sit formalitas ratione ratiocinatæ dissidens à cognitione possibilium; Vt nō pauci, nec ignobiles sunt tutati, vel solum ab ea differens quoad denominationem, quod sine discrimine fert Thomistica congregatio.

Parificatur quæstio.

37 Non absimiliter in dubium vocamus, an sicut communis opinatio defendit abæterno novam in secundo signo cognitionem, qua Deus in futura se conferat, nouam inquā siue quoad formalitatem a sciētia simplicis intelligentiæ, siue quoad denominationē ab ea dissitam, vt communiter circumfertur, ita possibilis sit Deo, siue in tempore, siue abæterno pro tertio alio rationis signo, alia tertia cognitio ab vtraq; cognitione scientiæ simplicis intelligentiæ & visionis, vel quoad formalitatem, vel quoad denominationem præcisè differens.

Quæstio de noua Dei cognitionē non recidit in dubium de nouitate decretorū in tempore.

38 Nec existimes rem nostram reciderem quæstionem aliam non parum antiquatam de decretis diuinis in tempore, quam Liquetus eruditissimus Scoti Commentator suscitauit, & in affirmatiuum latus se inflexuit. Tum, quia dubium hoc non restringimus ad temporis interualla, sed solum quærimus, an talis noua cognitio menti diuinæ superveniri possit, siue talis cognitio æternitate pro signo rationis, siue in tempore pro duratione reali suam obtineat existentiam; tametsi probabiliorem controuersiæ statum primum autummemus. Tum etiam, nam defendentes decretorum Dei possibilitatem in tempore, eandem mutatio-

nem

nem physicam in re directe volita necessario cupiunt, quemadmodum cæteri discurrunt de constitutione diuinorum decretorum. Quæstio vero præsens eo cõnititur, vt quærat posibilitatem novæ cognitionis diuinæ terminatæ ad idem obiectum nulla in illud physica mutatione inducta.

39 Notabitis tandem, è contrario latere controversiam similiter adesse, an videlicet de novo posit Deus cognitionem deperdere quin obiectum aliquod mutationem, aut minimam in esse pyhsico patiatur. Sic igitur adæquate litera textus claritudinẽ hauriet, cum ibidem asseueretur: Agentia creata deperdere, nec de novo acquirere posse sine mutatione duplici ibidem asignata; Deum vero vt deperdat, vel vt de nouo acquirat, necessario mutationem physicam in rebus ad extra desiderare. His excursis.

SECTIO II. CONCLVSIONIS PRIMAE.

SEMEL EXISTENTE OBIECTO nequit intellectus diuinus deperdere cognitionem in tale obiectum tendentem, quin pro illa substituat alia, qua ad ipsum terminetur.

40 Conclusio hæc vnius partis textus, num. antecedenti allatæ est responsiua. Rationẽ illius formo: Semel eodem modo physice existente obiecto, non potest intellectus Dei arceri, ne ad illud absolute aliqua cognitione attendat. Ergo obiecto sic existente nequit Deus cognitionem in illud tendentem amittere, quin habeat aliam illius substitutam, vel eidem *Conclusionis ratio.*

dem æquiualentem, qua in prædictum feratur obiectum. Consequentia cuique euidens. Antecedens probo: Deus nequit cohibere causam necessariã, ne agat seclusis omnibus obicibus, tam intrinsecis, quam extrinsecis; & parato semel concursu Dei. Verbi gratia, non potest Deus facere, quo dignis stupam minime comburat, si debite ad illam applicetur, impedimenta tollantur, & Deus illi præstiterit concursum. Sed intellectus Dei est necessaria causa debite applicata, infinita vi prædicta, & obiectum ex se cognoscibile. Ergo semel sic existente obiecto prorsus immutato non potest intellectus diuinus arceri, ne ad illud absolute aliqua cognitione attendat.

Occursus. 41 Respondebis notans de diuinis iudicium nos formare ex his, quæ visibilibus creaturis seclusis imperfectionibus contingere asuescit. Vnde causam aliquam creatam a sua causalitate arceri evenire potest pluribus titulis, alijs imperfectis, alijs nullam imperfectionem inuolventibus. Vel enim potentia aliqua creata non agit in obiectum, quia deest illi virtus æque cum obiecto proportionata, vt patet in oculo Angelum ob talem defectum cognoscere impote. Vel arcetur attendentia, quia deficit obiecto intelligibilitas intrinseca, qua negata mirum non est tendentiã in illam dabilem non esse. Vel cohibetur tendere ex defectu applicationis intelligibilis præsentiæ, vt si deficiat intellectui species impressa, cuius munus est, obiectum potentiæ repræsentando illud intelligibiliter præsens potentiæ reddere. Ob cuius defectum visus, etsi irradietur medium, & obiectum colore perfundatur, nullomodo visionem in illud eliciet. Vel tãdem potẽtia à sua causalitate effrænatur ob defectum applicationis liberæ a voluntate emanantis, vt contingit non semel in potentijs agentis liberi, respectu eo-

Arceri potentiã attendentia in obiectũ, non sibi semper arrogat imperfectionẽ.

eorum operum sub voluntatis dominio cadentium: ob cuius defectum mens Christi, non semel a sua causalitate ad infusam, & acquisitam scientiam spectante pro libero sui gustu arcebatur, quodque de mente Angelica (dempta cognitione respectu propriæ substantiæ, vt fert communius placitum) id ipsum verificatur. Potentiam ergo creatam a suis tendentijs arceri, vel ob defectum virtutis, vel speciei, imperfectionem sibi annectit, arceri vero ex imperio voluntatis a tendentia in obiectum, nullum næuum secum fert, vt de se constat. Vnde ratio adhibita solum vim habet, de cohibitione intellectus diuini ob defectus illos imperfectionibus indutos, non vero ob defectũ liberæ applicationis voluntatis nolentis, intellectum diuinum, aliàs potentem obiectum existẽs ex se attingere, in illud aliqua cognitione ferri. Quod tam procul est ab impossibilitate ex imperfectione suborta, vt ex inde imperij diuinæ voluntatis maius deprehẽdatur encomium.

42 Sed replicabis: in hypothesi nostra de existentia obiecti manet intellectus diuinus, licet libere absolute, tamen necessario ex suppositione applicatus, ad tale obiectum cognoscendum. Ergo ob deffectum liberæ applicationis voluntatis intellectus, ab omni cognitione, ad tale obiectum terminanda, minime arceri valebit. Antecedens probo, non aliter intellectus diuinus, valeat applicari à diuina voluntate, vt hoc obiectum cognoscat, quam per liberam appositionem talis obiecti ad extra. Sic veritas, sed supponimus tale obiectum actualem existentiam subire, ex vi diuinæ voluntatis illud producentis. Ergo ex inde voluntas Dei, applicuit eius intellectum, vt illud caperet. Ergo in nostra hypotesi, de existentia obiecti, prorsus immutata, non deficit intellectui libera voluntatis ap- *Replica.*

plicatio. Ambæ consequẽtiæ vna vice probãtur. Ideo dum primo fuit existens obiectum, applicuit voluntas intellectum ad illud cognoscendum, quia esse primum illius obiecti liberè edidit voluntas ad extra. Sed idẽ esse in cæteris instantibus libere, ad diuina voluntate conseruatur ad extra, vt supponimus. Ergo sicut in primo, ita & in cæteris instantibus manet intellectus Dei a sua voluntate liberè applicatus ad obiectũ illud capiendum. Ergo ob defectum liberæ applicationis nequit intellectus Dei existente prorsus immutato obiecto ab omni cognitione ad illud terminanda arceri. Ergo nec vnam, quæ ad illum terminabatur, deperdere, quin aliam ad ipsum terminatam deperditæ substitutam, & ei æquivalentem eliciat.

Applicatio libera intellectus Dei ad obiectum, est eius productio libera ad extra.

43 Confirmatur: In prædicta hypotesi non est posibilis in Deo voluntas imperans intellectui, ne ad prædictum obiectum attendat. Sed per solam voluntatem istam suspensionem intellectus præcipientem explicari potest defectus applicationis ad intelligendum tale obiectum. Ergo in prædicta hypotesi imposibilis est applicationis defectus ad obiectũ illud cognoscendum. Consequentia bene illata. Minor æque clara, cum non aliter intelligamus Christi mentem omni virtute, & speciebus cuncta superna, & naturalia repræsentantibus præditam, ad hæc obiecta minimè attentã, nisi ex imperio voluntatis volẽtis his, & non alijs obiectis incumbere, & ex vi istius imperij præfigitur mens Christi, & applicatur ad hæc, & non ad alia obiecta cognoscenda. Ecce minor probata. Nunc maiorem probo: Imposibilis est in Deo duplex voluntas sibi vicisim contradicens. Sed si in nostra hypotesi posibilis esset voluntas imperans intellectui, ne tale obiectum absolute attendat, posibilis esset in Deo duplex voluntas sibi vicisim contra-

Voluntas Dei nolẽs intellectum applicare ad obiectũ existens duplex contradictorium infert.

di-

dicens. Ergo in nostra hypotesi talis voluntas imperans, impossibilis est. Probo minorem: Hæc duplex voluntas sibi vicissim contradicit: *Volo applicare intellectum, vt obiectũ hoc, A, cognoscat. Nolo applicare eundem intellectum, vt idem obiectum, A, cognoscat.* Sed istæ voluntates darentur in Deo, si in nostra hypotesi possibilis esset volũtas imperãs intellectui, ne circa illud idẽ obiectũ aliquã cognitionẽ eliciat. Ergo si in nostra hypotesi possibilis esset volũtas imperans intellectui, ne ad tale obiectum, A, existens absolute attendat, esset possibilis in Deo duplex voluntas sibi vicissim cõtradicens. Probo minorem. In primis aduersarius admittit, possibilitatem voluntatis nolentis applicare intellectum ad cognoscendum obiectum, in hypotesi suæ existentiæ physicæ immutatæ perseuerantis. Sed in tali hypotesi, necessario existit voluntas alia volens applicare intellectum ad illud obiectum cognoscendũ. Ergo si in prædicta hypotesi possibilis esset voluntas, nolens applicare intellectũ ad cognoscendum illud obiectum, dabiles essent in Deo duæ voluntates, vna qua dicat: *Volo applicare intellectum ad obiectum, A, cognoscendum*; alia quæ afferat: *Nollo eundem intellectum applicare ad idem obiectũ, A, percallendum*: Minor probatur. Tum ex his, quæ numerus antecedens effudit. Tum etiam á paritate ista efficaciter eam suadente: etenim existente loco reali ad extra realiter producto indispensabiliter, adest voluntas cõmittans applicans immensitatem ad illi loco realiter coexistendum. Ergo in tali hypotesi de existentia obiecti necessario est ponenda in Deo voluntas, committanter applicans intellectum ad illud cognoscendum. Antecedens nulli ambiguum; consequentiam pondero: Ideo voluntas illa prima necessario committanter, ponitur immẽsitatem ad coexisten

Voluntas applicans necessario intellectum ex voluntate necessario immẽsitatẽ applicãte deducitur.

dũ loco applicans, quia ſemel poſita reali exiſtentia lõ ci immenſitas, non ſubditur libero nutui Dei in ordine, ad illi in actu ſecundò coexiſtendum, vel non coexiſtendũ. Sed ſemel exiſtente obiecto phyſice ſemper vno intellectus diuinus, non ſubditur libero Dei nutui in ordine ad illud de facto in actu ſecundo cognoſcendum, vel non cognoſcendum. Ergo vtrobique ponenda eſt neceſſaria voluntas Dei committanter immenſitatem, & intellectum applicans. Maior eſt dogma. Minor probatur: Ideo immenſitas in caſu relato non ſubditur libero nutui Dei, in ordine ad coexiſtendum illi, vel non coexiſtẽdum, quia exiſtentia loci realis eſt indiſpenſabile connotatum prædictæ coexiſtẽtiæ. Vnde licet abſolutè immenſitas libere locum iſtũ occupet, quia libere eius loci productio à voluntate profluiuit, atque adeo potuit volũtas Dei facere, quod immenſitas prædicto loco non coexiſtat, quia dum illum produxit, potuit propriori illum non producere, & ſemel productum ipſum anichilare; tamen ex ſuppoſitione, quod voluntas decreuerit, talem locum producere, & hic, & nunc illum cõſeruare, facere nequit, ne immenſitas in talem locum de facto elabatur, quia immenſitas eſt vis infinitè occupatiua cuiuſque loci realis realiter, actualiter exiſtentis. Sed exiſtentia tellectualis obiecti, non minus eſt connotatum indiſpenſabile intellectus diuini, & aliàs non minus eſt virtus infinitè cognoſcitiua, cuiuſque obiecti cognoſcibilis. Ergo quemadmodum immenſitas non ſubditur voluntati liberæ, vt exiſtenti loco coexiſtat, vel non coexiſtat, ita nec intellectus eidem ſubdetur, vt ſemel exiſtente, obiecto illud cognoſcat, vel non cõgnoſcat. Ergo ſicut exiſtente loco neceſſario exiſtit, in Deo voluntas immenſitatem applicans ad illi coexiſtendum; ita exiſtente obiecto dabilis eſt neceſſario,

voluntas applicans intellectum ad illud cognoscendum. Ergo si per te existente obiecto possibilis esset in Deo voluntas nolens applicare intellectum, vt illud obiectum cognoscat, cum ex alia parte probauerimus, in tali hypotesi necessario esse dandam voluntatem, concomitantem intellectum ad illud idem obietum cognoscendum, iam admittenda foret possibilis duplex voluntas sibi vicissim contradicens. Vnà, quæ diceret: *Volo applicare intellectum ad cognoscendum hoc obiectum, A*, & alia, quæ diceret: *Nolo applicare intellectum ad cognoscendum idem obiectum, A.* Quis hoc abnuet inconueniens esse? Ergo semel existente obiecto nequit intellectus cohiberi, ne in illud feratur aliqua cognitione ob defectum applicationis liberæ. Ergo nequit intellectus diuinus habitam cognitioné in obiectum existens latam amittere, quin deperditæ cognitionis (intellige sẽper de amissione cognitionis) vel quoad formalitaté, vel quoad denominationé, vel illi æquiualentem ad ipsum terminatam, obtineat.

44 Ex inde inferes, nec semel habitam cognitionem intellectum diuinum amissurum, quamvis aliam de eodem obiecto pro alio signo nanciscatur, & ipsum obiectum obiectiue, & physice mutetur. Rem pandit familiare exemplũ. Est secura opinatio, possibilitaté rebus in primo signo logica prioritate cõpetere. Futuritionem vero eisdem pro secundo signo, & logica posterioritate conuenire. Rursum, Deo in primo signo adaptari scientiam simplicis intelligentiæ, qua possibilia capit, postmodũ vero in secũdo instãti advenit Deo cognitio visionis scientiæ, qua futura contemplatur. Et tamen licet ista sint secura, tamen non adeò quis desipuit, vt asserat Deum ex aduentu nouæ cognitionis scientiæ visionis pro secundo signo amittere in illo formalitaté cognitionis scientiæ simplicis intel-

Deus habitam semel vnam cognitioné ex aduentu alterius, nõ amittit.

ligentiæ, quã in primo ſigno poſſederat: Ecce obiectũ de ſigno primo ad ſecundũ trãſit, & licet obiectiue mutetur, & egreſſum à poſsibilitate futuritionem ſubinduat; Deus priſtinam cognitionem ſcientiæ, ſimplicis intelligentiæ in primo ſigno ad illud terminatæ non deperdit, tametſi nouã cognitionẽ, vel quoad formalitatem, vel quoad denominationem de nouo ad eius futuritionem terminatam acquirat. Hoc ipſum verificabis de eodem obiecto dum excurrens illos duos ſtatus poſsibilitatis, & futuritionis; ſtatum exiſtentiæ, in quo phyſice mutatur, ſubit. Et ratio omnium coniectari poteſt, nam cum præcipua ſpecificatio intentionalium, actuum ex obiectis deſumatur formalibus, tandiu ſimul in eodem intellectu prædictæ intentionales tendentiæ coexiſtentiam habebunt, quandiu prædicta obiecta formalia inter ſe compoſsibilitatem obtinuerint: Cumque obiecta formalia ſpecificatiua (ſaltem virtualiter talia) ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, & viſionis ſint rei poſsibilitas, & eiuſdem futuritio, ſeu exiſtentia, & ex alio latere de eadem re ſimul iſta ſaltem logicè verificentur, fit, prædictas tendentias intentionales inter ſe nullam habituras pugnam pro eodem inſtanti reali.

Ratio ſimultaneæ tendentiarũ coexiſtẽtiæ in Deo.

SEC-

SECTIO III. CONCLVSIONIS SECVNDAE

Existente obiecto physicè immutato potest intellectus Dei in illud tendere media noua cognitione, vel quoad formalitatem, vel quoad denominationem.

45 RAtionem conclusionis, sub hac forma redigo: Obiectum existens physicè omnis mutationis physicæ expers, potest esse connotatum speciale exigens nouam, & specialem scientiam Dei. Ergo possibile est Deo tendere in obiectum physicè immutatum media noua cognitione (semper tene nouitatem, vel quoad formalitatē, vel quoad denominationem) tametsi exparte obiecti nulla adsit physica mutatio. Ergo non semper noua Dei tendentia intentionalis in obiectum exigit ad summum, sed necessario physicam mutationem ex parte obiecti attacti, quod obuiat Magistrali asserto in littera, vt dedit num. 29. ex num. 12. Ista vltima consequentia ex collatione cum textu aperitur. Prima patet, ex notabili num. 34. adducto, tendentias diuinas intentionales non aliunde hauriri, quā ex obiectis earū formalitatum, quæ respiciunt. Ergo ad nouum, & speciale connotatum formale, respondere debet ex latere Dei noua intentionalis, & intellectualis tendentia. Ergo si semel præfigatur, obiectum physice existens esse posse speciale connotatum exigens specialem scientiam Dei, bene deducitur, ex parte ipsius Dei correspondere debere specialem tendentiam intentionalem intellectualem. Antecedens tota difficultate affectum probatur. Ponamus casum, *Conclusionis ratio.*

ali-

aliquem ſine deliberatione actum quendam voluntatis ſubito elicere, & ſimul Deum decernere prædictũ actum vſque ad tertium inſtans conſeruare, taliter quod propriori ad tertium inſtans imprimat Deus intellectui illius hominis deliberatam cogitationem, hoc eſt, cognitionem indifferenter repræſentantem bonitatem, & obiecti malitatem; In hoc caſu actus idem, qui in primo inſtanti inceperat, ſine mutatione ad tertium inſtans perſeuerat phyſice vnus. Sed iſte actus, vt tertio inſtanti coexiſtens, eſt ſpeciale connotatum exigens nouam ſciẽtiam Dei diſtinctam ab ea, quam ex parte ipſius Dei in primo inſtanti cupiebat. Ergo obiectum actu exiſtens phyſicè immutatum exigit ſpecialem ſcientiam Dei: Sed antequam minorem probem, explicationem effundam in maiori. Eſt plauſibilis opinatio (non cito Authores, nam in re, quam vulgo *Centon* vocitat: in otium vergit Doctorum nomina cõglomerare, lege libros, & ſatiaberis) edocẽs, poſſe eundem actum, qui ex accidenti egreditur neceſſarius, poſita extrinſeca aduertentia iudicij, manifeſtantis indifferentiam bonitatis obiecti, fieri liberũ meritorium, aut demeritorium; ita vt idemmet actus ſine additione inrrinſeca ad ſuum eſſe phyſicum, connotata ſolum prædicta cognitione deliberante migret ad ſtatum liberi, necnon ad lineam moralem bonitatis, & malitiæ. Eſſe probabilem opinationẽ iſtã, tibi erit compertum, ſi principijs noſtri Scoti, & alijs exteris attente incubueris. Ecce antecedentis caſum reſeratum, & eius probabilitatem patefactam. Nunc probo minorem, nempe, *ſed iſte actus, vt tertio inſtanti coexiſtens eſt ſpeciale connotatum exigens ſpecialem ſcientiam Dei*: etenim actus iſte, vt tertio inſtanti menſuratus, eſt ens verum phyſicè exiſtens, aliàs bonũ morale, verbi gratia, & a Deo exequibile. Ergo etſi vnus

Probabilis opinatio de trãſitu actus de neceſſario in liberum ſine ſui phyſica mutatione.

 exi-

existat physice in triplici instanti, at vt tertio mensuratus erit connotatum speciale exigens specialem sciētiam Dei. Antecedens est casus hypotesis. Consequētiam probo. Ens existens physice verum, aliàs moraliter bonum à Deo factum est speciale connotatum exigens specialem scientiam Dei. Sed iste actus, vt tertio instanti coexistens, est ens verum physice, aliàs bonum moraliter a Deo factum: Ergo est connotatum exigens specialem scientiam Dei. Probo maiorē: Ens verum aliàs bonum morale, quia existens, non exigit scientiā simplicis intelligentiæ. Sed quia bonū morale non exigit scientiam visionis. Ergo ens verū physice existens aliàs bonū moraliter exigit specialē scientiam Dei. Maior cuique peruia, cum notum sit scientiam simplicis intelligentiæ solum a rerum possibilitate vocari; & aliunde supponitur actus iste existens: Minor, quæ difficilis est, probatur: Obiectum scientiæ visionis est veritas existens à bonitate, & malitate morali obiecti præcisa. Sed iste actus, vt tertio instanti metitus, est veritas existens a bonitate morali minime abstractus, quia supponimus, eum bonitate morali necessario ex suppositione perfundi. Ergo iste actus, quia ens bonum morale, non exiget à scientia visionis attingi.

Scientiæ visionis obiectum a bonitate morali abstrahit

46 Respondere poteris ex communi: Ens morale bonum existens essē connotatum scientiæ visionis, nam hæc fertur etiam sub eadem denominatione in entia existentia bona, & in existētia mala, & in ea, quę à Deo sunt facta, & in quæ, si existunt, licet à Deo minime fiant.

Visionis scientia in quæq; existētia fertur.

47 Sed replicabis: Etenim veritas existens aliàs moraliter bona est connotatum sufficiens specificare distinctam scientiam à visionis cognitione. Ergo talis veritas ad scientiam visionis no attinebit, saltem,

quia moraliter bona. Consequentia patet, nam in cõmuni, res quælibet, quia existens, est potens specificare nouam scientiam distinctam a cognitione simplicis intelligentiæ, ideo ad istam, vt res est existens, minime spectare iudicatur. Ergo si veritas hæc, quia bona moraliter, sufficit specificare nouam scientiam distinctam a scientia visionis, optime deducemus, eam minime spectare ad visionis scientiam. Antecedens igitur illud probemus: Veritas hæc existens, quia bona moraliter sufficit specificare nouum actum voluntatis.

Hæc dum augurabatur recitatio, ceremoniarum labia obserauit Minister, & pluribus silentio præsis compescuit linguam toto horologij pulueres parsam.

Sed præcisum discursus filum vniens, consequentiam infero ex antecedenti præiacto. Ergo similis existens veritas sufficiens erit, nouum actum intellectus specificare. Antecedens probo: Bonitas moralis existens actum sui positiue approbatiuum exigit. Ergo bonitas existens moralis sufficit nouum actum voluntatis specificare. Antecedens sine exceptione defendit communis; tunc sic: Ergo eadem veritas existens, quia bona moraliter, etiam sufficiet nouam cognitionem in Deo specificare. Consequentiam probet proloquium familiare: *Quod potens est exigere nouum voluntatis actum, estque sufficiens nouum actum intellectus exigere.* Quodque adeo verum, vt eius securitate nostri Thomistæ innixi, tuentur in Deo nouum actum intellectus, videlicet imperium regulans vsum circa exequenda media, ex eo videlicet, quia si bonitas exequibilis sufficit specificare nouum actum voluntatis, qui *vsus* dicitur distinctus ab electione, etiam valebit specificare nouum intellectus actum, qui sit imperium distinctum a iudicio illo electionem præcedẽte.

Quod est potens nouũ actũ voluntatis specificare potens, est nouũ actus intellectus exigere.

te. Ergo si semel ad mittatur bonitatem moralem prædicti actus realiter existentis, sufficere specificare nouum actum voluntatis, infertur, eum potentem esse ad specificandum nouum actum intellectus. Ergo veritas existens, quia bona moraliter nouam in Deo exigi cognitionem distinctam a cognitione scientiæ visionis.

48 Sed respondere poteris ex communi. Rationem istam nullo modo conuincere, obiectum istud exigere specialem scientiam adæquatè distinctam a sciẽtia visionis; siquidem cum supponamus, obiectũ istud existentiam habere, & ex alia parte scientia visionis, vt a simplici distincta, in quasque res, vt existentes feratur, sit, obiectum istud, licet scientiam simplicis intelligentiæ non efflagitet, tamen scientia visionis debet esse contentum. *Solutio ex cõmuni.*

49 Sed replicabis, obiectum scientiæ visionis nõ exigit cognitionem ex se inuolventem actum voluntatis positiue, approbatiuum veritatis, quam attingit. Sed veritas hæc existens, alias bona moraliter exigit, ex se cognitionẽ necessario, involventẽ actum voluntatis positiue appobatiuum sui. Ergo talis veritas exigit ex se nouam scientiam, adæquate distinctam à scientia visionis. Minor supponitur. Consequentia infertur, maior probatur; etenim ex cõmuni habetur, Deum scientià visionis peccata contueri. At de fide est, cognitionem hanc non exigere actum voluntatis positiuè talium obiectorum approbatiuum. Ergo obiectum scientiæ visionis ex se non petit cognitionem necessario involvẽtem actum voluntatis approbatiuũ positiui sui. Sed petere ex se, & nõ petere ex se cognitionẽ connotãtem actum voluntatis sui obiecti approbatiuum, sufficit distinguere adæquatè tales cognitiones, vt statim aperiam. Ergo cum obiectum scieutiæ *Occursus*

visionis non exigat ex se cognitionem sibi actum voluntatis annectentem, qui sui obiecti extet positiuè approbatiuus, & veritas hæc talem cognitionem ex se exigat, quæ actum voluntatis positiue illam approbantem involvat, fit, prædictam veritatem exigere, nouam scientiam adæquatè distinctam à scientia visionis.

Instauratio allati discursus.

50 Munitur, & simul expenditur discursus praecedens; etenim veritas existens, aliàs bona mortaliter petit, in Deo cognitionem semper connotantem aliquid, quod non semel scientia visionis connotare est impos. Ergo talis veritas non petit attingi à visionis scientia: antecedens ostendit numerus elapsus. Consequentiam probo: Exigere cognitionem involventem actum voluntatis positiuè approbantem obiectum, sufficit in hoc exigere nouam scientiam. Sed sic se habet veritas hæc existens, aliàs bona moraliter. Ergo hæc exiget in Deo scientiam nouam. Maiorem probo: Exigere cognitionem petentem sibi commitem habere actum voluntatis, vtcumque quamvis non sit approbatiuus, approbatione spectante ad moralem lineam, sufficit in obiecto exigere scientiam specialem distinctam, à scientia simplicis intelligentiæ. Ergo exigere cognitionem involventem actum voluntatis positiue approbatiuum obiecti, media approbatione spectante saltem obiectiue ad moralem lineam, sufficiet in obiecto exigere nouam sciētiam distinctā, à scientia visionis. Aperiamus rem extra formam. Docet communis, scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis adæquate inter se distingui, siue quo ad formalitatem, siue tantum quoad denominationem. Quomodocūque res ista se gerat, mihi erit proficua, cum vno ex istis modis specialem istam scientiam ab ambabus distingui, sim ratus: Rursum quærens communis distin-

Connotare actum efficacem discriminat a simplici intelligētia scientiam visionis.

cti-

ctiuum prædictarum scientiarum potissimum, designat hoc, nempe visionis scientiam esse cognitioné involventem actum voluntatis efficacem siue positiuũ, siue pure permissiuum; scientiam vero simplicis intelligentiæ, nullum istorum desiderare, imò exigit illis orbari. Ergo hæc est vera: exigere cognitioné petentem habere sibi commitem actum voluntatis efficacem, quamvis non sit sui obiecti approbatiuus, media approbatione ad moralem lineam, saltem obiectiue spectante, sufficit in obiecto exigere specialem scientiã distinctam à simplici intelligentia. Ergo æque vera debet esse hæc altera: exigere ex se cognitionem involventem actum efficacem voluntatis sui obiecti approbatiuum media approbatione spectante, saltem obiectiue ad lineam moralem, sufficiet in obiecto exigere nouam scientiam distinctam a scientia visionis, quæ ex se tali exigentia non potitur, imo petit prædicta exigentia ex se destitui.

51 Instauro hoc ipsum alia instantia ex communi: Etenim omnes, qui admittunt scientiam simplicis intelligentiæ esse cognitionem connotantem actum positiuum inefficacem, quo Deus de rerum posibilitate congaudeat, tuentur, prædictam scientiam a visionis cognitione distingui. Ergo æque, & æquius cognitio expostulata a nostra veritate existente debet ab ambabus distingui. Consequentiam, vt probem, ante noto, plus distare esse, & non esse, quam magis & minus inter idem esse. Lux enim plus distat à tenebris, quam lucidũ magis, a lucido minus. Ex his fit verum, plus distare inter se negationé actus & actum, quam efficacem actũ ab inefficaci: atque adeò cõnotationé negationis actus sufficiens distinctiuum esse a connotatione actus: Ista nullo præpediuntur obice. Nunc probo consequentiã primam: Communis docet, scientiam simplicis intelligen-

Fortius distinctiuum sciẽtiæ Dei est connotatio negationis actus, quã connotatio actus inefficacis.

gentiæ distingui à sciẽtia visionis, quamvis ambæ cõnotent actus diuinæ voluntatis, quia videlicet simplex scientia actum solum inefficacem, visionis vero scientia efficacem important, qui inquam actus se habent secundum magis & minus in ratione actus, sicut magis & minus lucidum in ratione lucidi. Sed cognitio à veritate sæpè allata petita ex se petit actum efficacẽ volũtatis approbatiuum obiecti media approbatione, saltem obiectiue spectante ad lineam moralem. Scientia vero simplicis intelligentiæ, & visionis exigunt negationem talis actus, illa respectu omnium obiectorũ, quæ callet; hæc respectu plurium, quæ attingit; imo & respectu omnium, cum nullum illorum inspiciat medio actu voluntatis illa approbante media approbatione ad moralem lineam, saltem obiectiue spectãte. Quæ inquam connotationes se conferunt inter se, sicut connotatio actus, & connotatio negationis actus. Ergo plus distinguetur in Deo cognitio, quam petit veritas nostra, à scientia simplicis intelligentiæ, & visionis, quã ipsæ inter se se. Ergo veritas nostra sicut quia existens subterfugit scientiam simplicis intelligentiæ, ita quia aliàs moraliter bona, a Deo appro babilis medio approbationis actu, ad lineam moralẽ saltem obiectiue pertinente, scientiam visionis fugabit. Ergo alia in Deo est ponenda cognitio, à qua talis veritas exigat attingi.

Retrogressio ad textum.

52 Ex istius nouæ cognitonis structura retrogredimur ad litem, cuius decisionis gratia hæc omnia excurrimus; nempe an Deus in obiectum ad extra existens tendere valeat acquirens nouam cognitionem, qua ad illud nouiter terminetur; quin in obiectum physica, aut intrinseca mutatio inducatur? affirmauimus, cuius probationem expertissimus in vna, & eadem veritate, quæ physicè in se immutata, dum in primo

mo instanti, & secundo concipitur vt existens, exigit à visionis scientia pertingi, vt vero tertio instanti metitur, in quo bonitate morali afficitur, petit ab alia diuina cognitione contueri sub formalitate bonæ moraliter à Deo approbabilis. Quomodo cũ his cohæreat littera textus ex optantis mutationem ex parte obiecti, vt de Deo verificetur aliqua noua tendentia, ad illud terminata? In calce sectionis venturæ forte præstabimus.

SECTIO IIII.

Argumentorum discusio.

53 ARgumenta, quæ sub tam breui temporis intersitio fui meditatus, in duas clases dispergo. Prima est eorum connittentium veritatem conclusionis secundæ, & rationem illam suadentem vna vice conuellere; secunda continebit ea, quæ permissa possibilitare nouæ cognitionis in Deo, necnon veritatem illã esse immutatam, prætendunt, nouam illam cognitioné non arguere distinctionem à scientia visionis adæquatam.

Argues igitur in limine contra veritatem dictæ conclusionis, & rationis eam protegentis. Impossibilis est casus admittens nouam tendentiam intentionalem in Deo, circa obiectum ad extra immutatum. Ergo ruit veritas conclusionis, & rationis eius. Antecedens probo: si aliquis esset casus ista verificans, maximè ille adductus, num. 51. Sed ibidem datur mutatio duplex, ad extra ex parte obiecti. Ergo nullus est casus, &c. Minor probatur ex ipsa nostra casus descriptione. Dicebamus ibidem, ponamus hominem subito actum primo primum elicere, decernat simul Deus, cũ *Obiectio 1. contra secundam conclusionem.*

vsque

vſque ad tertium inſtans cōſeruare, taliter, quod priori ad illud tertio inſtans imprimat Deus intellectui illus hominis cogitationem deliberatam. In hoc caſu aiebamus, idem actus immutatus eſt, & circa ipſum vt tertio inſtanti coexiſtentem acquirit Deus nouam cognitionem, ſaltem quoad denominationem. Hæc nos ibi. Sed in hoc caſu ex duplex ad extra mutatio. Vna phyſica ex parte intellectus illius hominis recipientis à Deo nouam illam deliberatam cognitionem. Moralis altera ex parte illius actus, qui per nos in tertio inſtanti tranſit ad lineam moralem bonitatitis. Ergo in caſu noſtro concluſionem protegente datur duplex mutatio ad extra, phyſica vna, & moralis alia. Ergo optime dedit Magiſter in littera, Deum nouiter minime agere ſine mutatione ex parte obiecti.

54 Vt reſpondeam, notare debes, aliud eſſe, an Deus acquirere poſsit cognitionem de nouo nullā mutatione facta phyſicè, nec morali in ipſo obiecto, in quod nouiter directe tendit: aliud eſſe, an nouiter tendere poſsit in obiectum directum phyſicè prorſus immutatum. Primum ſenſum eſſe falſum caſus noſtræ cōclusionis, & huius titulus demonſtrant, & idipſum argumentum conuincit; etenim eo ipſo, quod fateamur illum actum, vt tertio inſtanti menſuratum bonitate morali veſtiri, qua dum primo, & ſecundo inſtantibus metitus exuebatur, admittimus in illo mutationē moralem. Iſte enim ſenſus reſpuitur; ſecundus vero aſſonat titulo concluſionis, & rationi eius, cuique obiectio minime refragatur. Siquidē nullo modo deuincit mutationem phyſicam eſſe inductā in obiectum directum illius nouæ tendentiæ diuinæ, etenim obiectum iſtius directum eſt ille actus, vt tertio inſtant coexiſtens bonitate morali induitur: hic enim, vt ſup-

Obiectionis ſolutio.

poni-

ponimus, tria illa instanti decurrit immutatus physicè cum nihil intrinsecum physicum eius entitati in tertio instanti superveniat. Quod autem intellectui illius hominis contingat physica mutatio cogitationem deliberatam recipienti, non arguit physicam mutationem in actu nostro, qui est obiectum directum diuinæ cognitionis de nouo acquisitæ. Vnde talis mutatio physica præit tanquam quid connotatum in obliquo, vt postmodum actus ille in tertio instanti mutationem moralem subire valeat: nam si talis aduertentia pro priori ad tertium instans non præcessisset, actus ille, & si perseueraret, nullo modo lineam moralen bonam, aut malam ingrederetur.

55 Quomodo enim stare possit, cum præsupposita intellectus physica mutatione, actum illum subsequutum, qui est obiectum directum diuinæ tendentiæ nouiter acquisitæ, nulli physicæ, sed morali mutationi subesse, non inutiliter expendit voluntas libera, qua vult Deus votum à Petro relaxare. Videat enim Deus in primo signo Petrum voto astrictum. In secundo intendat Deus illud votum relaxare. In tertio reuelet Deus Petro, se ab obligatione voti iam esse immunē. Hic datur duplex libera voluntas, vna reuelandi, & alia relaxandi, vna ex alia orta, & vtrique debet ex parte obiecti correspondere sua mutatio. Itaque Deus videns in Petro votum sibi nuncupatum, decernit relaxare illud, ex qua intentione efficaci statuit, tanquā medium tali fini vtile, eligere reuelationem talis intētionis, ne homo deinceps ex conscientia erronea operetur. Ecce duplex mutatio physica, vna, nempe passiua reuelatio, quæ præcedit intellectu hominis voluntati reuelandi correspondens. Alia ad istam subsequuta moralis, nempe immunitas ab obligatione votum adimplendi, ita vt hæc necessario supponit primam,

Instatur voluntate relaxā di votum

quia si homo nesciret se iam esse liberũ ab obligatione votum exequendi, semper ex conscientia erronea, illud operaretur; En quomodo stat bene, mutationem physicam alicuius præsuppositi desiderari, quin eam in obiectum directum, & in recto inspectum refundat. Sic discursum hunc liti nostræ accommoda. Intendat Deus actum, quem necessarium ex defectu aduertentiæ in primo instanti elicuerat homo, esse meritorium, & liberum, in tertio; & vt istum finem expleat, eligit tanquam medium vtile, imprimere pro priori, ad tertium instans cogitationem indifferentem. Hic datur duplex voluntas. Vna redendi illum actum, in tertio instanti liberum. Alia imprimendi cogitationem indifferentem, sed vna ex alia suborta, nam ex intentione faciendi illum actum liberum in tertio instanti, se determinauit Deus pro priori ad illud instãs mẽti prædicti hominis cogitationem indifferentem imprimere. Ecce duplex mutatio, physica vna, nempe impressio talis indifferentis cogitationis, quæ præcedit in intellectu, & voluntati illam imprimendi correspondens. Alia mutatio moralis, ad illam physicam subsequuta, videlicet bonitas moralis illius actus; ita vt hæc necessario supponat primam mutationem physicam; quia si pro priori, ad tertium instans non præiret, hæc cogitatio indifferens, actus ille æque esset necessarius in tertio instanti, ac supponitur esse in primo, & in secundo. Ex his patet, quomodo actus ille, qui est obiectum directum illius nouæ tendentiæ sæpè expositæ in Deo, in se nullã physicam mutationem subeat, quamvis de connotato, & in obliquo supponat illam. Huic materiæ poteris facile iniungere respondendi formam.

Scientia approbationis. 56 Secundò argues permittens obiectum directũ illius tendentiæ diuinæ physice immutatum esse, sed inten-

intendens prædictam tendentiam nullo modo novam & distinctam a scientia visionis fore censendam. In primis nomen, quo insigniatur, latuit cunctos, non ergo admittenda: Respondeo eam appellandam scientiã approbationis, nec ita insolens nomen, vt illud iam diuini scholas induxerit acutissimus Magister Ioannes Vincentius, relect. de gratia Christi, quæst. 6. dub. 1. licet in tanti nominis firmitatem nullam, aut levem ratiocinationem fuerit architectatus: Sed apage, voces sine, in rem age.

57 Argues tertio, veritas illa actus aliàs bona moraliter est existens. Ergo exigit a scientia visionis attingi. Probo consequentiam, in hoc differt scientia visionis a simplici intelligentia, quod ex parte sui obiecti attacti addat existentiam exercitam: sicut vice versa simplex intelligentia differt a scientia visionis, non claritate, maiori ve, aut minori euidentia, sed quia in obiecto a se attacto existentiam nõ cupit. Nec hucusque inuenere Authores inter prædictas scientias distinctiuũ aliud. Ergo sicut quod possibile purum est, quia existentia destitutum, exigit scientiam simplicis intelligentiæ & non visionis, ita quod iam existẽs est, scientiam visionis, qua attingatur, desiderabit. Sed illa veritas iam in tertio instanti bona moraliter, est in se vere physice existens. Ergo, quia existens vocabit, vt attingatur, visionis scientiam: Ergo aliam ab illa distinctam non cupiet. Confirmatur, nullibi natura entitates sine necessitate fœcundauit. Sed nulla adest necessitas in Deo ponendi prædictam nouã tendentiam distinctam a visione, talem veritatem, quia bonam in tertio instanti, attingentem. Ergo cognitio eam contuens scientia visionis aderit. Probo minorẽ: Necessitas præmẽs ponere novam tendentiam intentionalem intellectualem in Deo est connotatum spe-

Tertia obiectio.

ciale ſub ratione formali in alijs connotatis minimē reperta. Sed veritatem hanc in tertio inſtanti eſſe bonam non cadit ſub ratione formali ſufficienti ad exigendam diſtinctam ſcientiam a cognitione viſionis. Ergo nulla eſt neceſsitas præmens ponere nouam ſciētiam in Deo, vt attingat veritatem iſtam, quia bonam in tertio inſtanti. Minor probatur: ponamus iſtam eādem veritatem, quam, dum accedit ad tertium inſtās, ſupponimus eſſe bonam moraliter, malam moraliter egredi. Quæro, eſſe ſic moraliter malam eſt ne ſufficiens formale connotatum ad aſtruendum in Deo diſtinctam ſcientiam a viſione? Minime, cum communis opinatio moraliter mala exiſtentia, quia exiſtentia, a ſcientia viſionis defendat attingi. Ergo veritas hæc, quia bona moraliter, ſufficiens non habet formale ſpecificatiuum exigens nouam ſcientiam a viſione Dei.

58 Argumentum hoc latentes noſtræ concluſionis ſinus corrodit: Et vt ab illo expediar, notare libuit: Scientiam diuinam ſemel a communi in duo illa membra diuiſam ſaltem quoad denominationem, videlicet in ſcientiam viſionis, & in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, partiendam a nobis eſſe in alia fruſtra, ſufficientia connotata inuenientes ſpecificātes illa. *Occurſus* Itaque licet ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & purè viſionis ſcientia illam veritatem in tertio inſtanti bonam moraliter rimentur, vnaquæque ſub diuerſa ratione formali, ſcientia videlicet ſimplicis intelligentiæ eam contemplando, vt ens eſt non repugnans; viſionis vero ſcientia, quia exiſtens eſt, dabilis eſt alia cognitio ab illis diſsita eo genere diſtinctionis, quo ambæ inter ſe differunt, quæ attingat illam veritatem ſub ea ratione formali, quia ſcilicet bona moraliter actualiter eſt. Hoc autem eſſe ſufficientem rationem formalem ſpecificare novam in Deo cognitionem,

præ-

præterquamquod,a num.45.vsque ad 52.est munitũ, ratio contraria facilem exitum habet. Vnde casu,quo sicut hæc veritas supponitur de facto in tertio instanti bona moraliter,evaderet moraliter mala,vt potuit, consequenter asserimus,nullo modo formaliter attingi a pura visionis scientia: sed ab alia,quæ nominetur scientia in approbationis efficax. Pro quo;

59 Iterum adverto, scientiam Dei primo partiri in scientiam purè simplicis intelligentiæ,& in sciẽtiã purè visionis. Connotata formalia istis correspõdentia,quia sæpe repetita minime latent. Sed addiderim,scientias istas sua obiecta exigere, vt abstrahentia a bonitate,& malitate morali. Præterea datur sciẽtia approbationis exigens in suo obiecto attacto bonitatem moralem; & in approbationis malitatem in suo obiecto moralem exoptans. Verum quælibet harum diuiditur in sua membra. Primo diuiditur approbationis sciẽtia,inapprobationis efficacem,& in sciẽtiam approbationis inefficacem: Illa connotat decretum efficax positiuum, prorsus a se decretum permissiuum depellens; ista vero taliter se gerit, vt decretũ permissiuum non renuat associari. Tandem scientia inapprobationis similiter diuiditur in scientiam inapprobationis efficacis,& eius connotata sunt omnia mala actualiter existentia: Et in scientiam inapprobationis inefficacem,cuius cõnotata sunt omnia moraliter mala sub ambitum possibilitatis cadentia. Itaque malum,quia malum,si supponit decretum permissiuum exercitum,non ad scientiam visionis formaliter,sed ad scientiam sub denominatione inapprobationis sciẽntiæ efficacis. Si vero sit malum non supponens decretum permissiuum exercitum,sed exercibile,non ad scientiam purè simplicis intelligentiæ, sed ad scientiam inapprobationis inefficacem: Bonum

Scientia Dei alia intelligentiæ purè, alia purè visionis; alia approbationis efficacis, alia inefficacis approbationis, alia inapprobationis efficacis,& alia inefficacis inapprobationis.

enim, quia bonum morale, si supponat actum voluntatis efficaciter positiue suæ bonitatis approbatiuum, actualiter exercitum, non attingitur a scientia purè visionis; sed a scientia approbationis efficacis: Si autem sit bonum possibile, minime actum voluntatis efficaciter approbatiuum actualiter exercitum supponens, sed possibiliter exerceri, nullo modo sub hac ratione ad scientiam pure simplicis intelligétiæ attinet, sed ad scientiam Dei sub denominatione inapprobationis simplicis, vel inefficacis.

60 Iā formā huic materiæ præsto. Ad argumentum, num. 57. allatum, concedo antecedens, & nego consequentiam, & amittens distinctiuum, illud a cūctis *his* duabus præcipuis scientijs exhibitum, nego vltimam consequentiam; etenim aliud est, veritatem illam aliàs bonam tertio instanti coexistentem à scientia visionis tangi, quia existentem, & aliud eādem bonitatem existentem in tertio instanti non attingi à scientia alia approbationis efficacis, quia bonam moraliter. Primum concedimus, & negamus secundum; sicut in communi, non bene infertur, hæc bonitas physica, vel moralis cognoscitur, quia ens non repugnans est à scientia simplicis intelligentiæ. Ergo non cognoscetur ab alia Dei cognitione visionis scilicet, quia bonitas existens est. Sic discurre in lite hacce.

61 Confirmationi ibidem adiectæ respondeo concedens maiorem, & nego minorem. Ad probationem concedo maiorem, & minorem nego. Ad probationé admitto casum, & eius interrogationi affirmatiue respondeo; cui minime refragatur communis vox, nam præter vocem, cupitur ratio, quæ vexet. Vide num. 58. & 59. vbi ex connotatis illic expositis necessitaté ponendi aliam scientiam à visionis cognitione superque facile deprehendetis.

Confirmationis occursus.

Sed

62 Sed replicabis, scientia approbationis dictam veritatem contemplans est visionis. Ergo, &c. antecedens probo: obiectum quodlibet approbationis efficacis existit, vt constat. Ergo talis scientia est visionis. Idem discurres de scientia approbationis inefficacis respectu scientiæ simplicis intelligentiæ. *Replica.*

63 Respondeo, concessis ambobus antecedentibus, negans consequentias, sicut in sententia Iesuitarum PP. scientia conditionata est simplex intelligétia, respectu aliquorum conditionatorum, ex quo non infertur esse prorsus idem cum illa, sed ad summum aliqualiter ad illam redduci: Idem ferto de hac scientia, & omnium ratio, quia sicut ibi valet benè, est códitionata, ergo simplex: non tamen est simplex, ergo conditionata, quia se habēt tanquam superius, & inferius: ita bene valet. Est scientia approbationis efficax, ergo visionis, non tamen valebit, est visionis, ergo approbationis, quia ambæ scientiæ se habent tanquam superius, & inferius: Sed ista minimè arguunt idemtitatem scientiæ, etiam quoad denominationem. *Occursus*

Plura silentio præmuntur quippe intra præfixam vigintiquatuor horarum metam minimè oblata, sed alibi terenda calamo, dum maiora, quibus nunc indefessus labor insudat, prælo mandentur.